





9042. 1775, 24.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**PRIVILEGIA NON SVBDITO**  
**DATA PROSINT**

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.  
SOCIO  
IN AUDITORIO IVRIDICO  
DIE XXIII. IVNII ANNO CCCCCCLXXV.  
DEFENDET  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS MANITIUS**  
LVTZEN - MARTISBURG.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

CHRISTIANUS TRIDUOCAS MINITAS  
DIE ZEHNTE VON OSTERSONNTAG  
IN AUDITORYA SEDIS  
D. CHRISTIANO HENR. ERH. MNG  
TOMVS. P. C. D. 1650.  
TYPIS. ET. STYLIS. IO. G. F. V. 1650.



A N  
**PRIVILEGIA NON SVBDITO  
DATA PROSINT**

**C**Prohibuere suis Legibus Decemuiriri, quominus pri-  
uilegia ferantur. Neque id mirum; priuilegium  
enim erat Romanis formula legis, quae in per-  
sonae odium nominatum concepta erat. Non conueniebat  
cum natura libertatis ciuium, quibus quidem ex Legibus  
ius dici reddique poterat, non vero qui ipsi materiam legi  
dabant. Ferenda itaque erat verbis generaliter conceptis  
lex, quae ollium poenamue inferret. Non ergo ad pri-  
uilegia referebantur, quae personae mentionem faciebant,  
non vero odium aut poenam continebant. Sic lege cu-  
riata

A 2



riata imperium Proconsuli dabatur, sic amplius lege arrogatio fiebat, sic heredum institutio in comitiis populi fiebat et in his legibus omnibus personae nominatim mentio fiebat, neque tamen erant priuilegia ex mente Romanorum, hinc lege decemuirali haud prohibita. At factum demum est, ut abusu vocabuli significatum mutarent, atque, quae apud VLPIANVM in L. 1. §. 2. π. de constit. Princip. leguntur, ubi scribit: *Plane ex his quaedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur: nam quae princeps alicui ob merita indulxit, vel si quam poenam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit: personam non egrediuntur, uno nomine priuilegiorum comprehendere coeperint.* Enata hinc est diuisio in *fauorabilia et odiosa.* Sunt quidem nonnulli, qui hanc distinctionem ferre nequeunt, putantes fauorabilia tantum esse vera priuilegia, non aequae odiosa; sed ex veterarum hi iudicant loquendi ratione suamque veteris latii linguae produnt imperitiam.

## §. II.

Sicuti autem singulare quid sive in fauorem, sive in odium constitui potest, vel rei alicuius, vel etiam personae hinc priuilegiorum duplē formarunt speciem, quae vel realia, vel personalia dixerit; prout maiestas vel fauorem vel odium seu magis onus aliquod contra communis iuris tenorem rei alicui imposuit, vel personae tantum respectum habuerit, quam distinctionem communiter vindicant autore aduocato PAVLO in L. 68, π. de diuers. Reg. Jur. qui scripsérat: *In omnibus causis id obseruatur: ut, ubi personae condicio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat. Ibi vero genus actionis id desiderat:*

*ibi*



*ibi ad quenvis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilii.* Non reprehendam distinctionem, at an Paulus eam doceat, maxime in libro singulari, quem de dotis repetitione scripsit, mihi quidem probabile non videtur.

### §. III.

Cum vero priuilegia leges continent, quae a communi iure dispensant vel in odium vel in fauorem, leges vero pendent a maiestate, quae legislatoriam habet potestatem, facile per se certum est, solum principem in monarchico statu, vel optimatum collegium in Aristocratica republica, vel populum ipsum in democratico imperio posse concedere priuilegia. Non ergo magistratus priuilegia concedet, quippe huius est officium subditis secundum leges a maiestate latas administrare iustitiam. Reum itaque se faceret criminis maiestatis laesae, si a legum praescriptarum tenore solvere vellet subditos, vel fauorem concedendo, vel in subditi odium contra ius statuere.

### §. IV.

Cum principis sit, concedere priuilegia, simul enata est quaestio, an et Iureconsultis, quorum officium interpretando leges absoluuntur, licetum sit ex artis regulas interpretari quoque priuilegia. Sunt, qui his interpretandi facultatem omnem negant atque ad suam opinionem confirmandam vtuntur autoritate CELSI in L. 191. 2. de Diuers. Reg. Iur. Scripsérat enim hic Ictus, Principis, quem modum esse beneficij sui vellet, aestimationem esse. At sicut facile patet, in hoc capite non agi de interpretatione priuilegii



legii, sed de concedendo aestimandoque, quantum quidue velit petenti concedere princeps, qui, cum in suo arbitrio positum haberet, an velit alicui concedere, ita simul determinabit, quid concessurus sit beneficii loco, ut non necesse habeat ex omni parte supplicantis desiderio satisfacere, sed poterit aestimare, quem velit priuilegii fore modum. Qua propter vel Neratii respnsum in cit. L. 191. probat, ICtos respondisse de iure circa priuilegia, eaque interpretatos esse. Imo cum priuilegium lex sit, quamvis specialissima, ICtis vero legum interpretandarum potestas concessa, recte asservuit AVOLENVS in L. 3. π. de Conflit. Princip. Beneficium Imperatoris, quod a diuina scilicet eius indulgentia proficietur, quam plenissime INTER PRETARI debemus.

### §. V.

Cum vero leges feruntur subditis, ut secundum eas suas dirigant actiones, facile apparet, subditis quoque priuilegia concedi. Obligantur enim ex maiestatis voluntate ii, qui obsequium principi seu maiestati debent. An vero non subdito concedi posse priuilegium, quaeritur. Negant non nulli, putantes, non subdito priuilegium concedi non posse. Praeter LVDOVICI in Doctr. Pandect. Lib. I. Tit. IV. MENCKENIVS in Theoria et Praxi Pandect. Lib. I. Tit. IV. §. 10. statuit Priuilegia indulgeri personis ac rebus, quae et quatenus potestati Concedentis subiacent. An haec vtiique sententia vera sit, videamus.

### §. VI.



## §. VI.

Est quidem verum, extra territoriorum maiestati nullum ius competere, neque principis leges latas non subditos obligare, imo impune eosdem legibus non parere; tamen videtur princeps priuilegium non subdito daturus plane nihil agere, quippe a legum communium obligatione non subditum dispensare atque in illius gratiam singulare quid constituere non possit. Et quem habiturum esset effectum priuilegium in territorio alterius principis, cui subditus paret, si beneficium a principe obtinuerat, cuius haud erat subditus. Videtur itaque vera esse sententia, non subditis priuilegia concedi non posse.

## §. VI.

His vero non obstantibus certo modo adfirmari posse puto, et ipsa me docuit experientia, posse certo modo priuilegium non subdito efficaciter concedi. Concedo, rei priuilegium sitae extra territorium frustra dari ob allegatas rationes imo nemo concedet, in non subditum odiosum statui posse priuilegium. At quid prohibet, quominus non subdito favorem concedat maiestas alius territorii, quod quidem beneficium non efficit legem in territorio, in quo subditus domicilium habet, at poterit utile esse, quoties eo vii velit in territorio principis concedentis beneficium. Exemplum facile concipi potest in priuilegio certarum mercium vendendarum. Fac, non subditum bibliopolam typis exscriptum habere librum, sibique ab extraneo principe quaesiuisse priuilegium, imo huic supplicanti priuilegium de illo libro concessisse. An negabimus huic priuilegio et vim et utilitatem?

Haud



Haud videtur. Ea enim huic concessio priuilegio vis est, vt nemini liceat in territorio alium eiusdem libelli editio-  
nem vendere ac emere, quam quae priuilegio munita.  
Hinc nihil interest, vtrum subditus territorii sit, qui  
obtinuit, an non sit. Concedendo enim priuilegium si-  
mul suis dedit subditis legem, ne in iure perfecto,  
quod ex priuilegio obtinuerat, non subditum in territo-  
rio principis concedentis turbent. En ergo usum priu-  
ilegii non subdito concessi! Addo. Quid? si princeps non  
subdito ex mera gratia per beneficium seu priuilegium col-  
latum concedere velit, vt in certo ipsius principis banno  
ferino venationem exerceat. An dicamus inutiliter id  
fieri? Quid enim in beneficio conferendo requiratur sub-  
diti nexus? Erat tamen hoc priuilegium lex subditos suos  
obligans, ne eum, cui priuilegium venationis indylsit, quo-  
ties suo vtatur iure, turbatorem habeant venationis, et ne  
magistratus contra eum iudicium instituat, tanquam con-  
tra eum, qui turbando venationem poenae se obnoxium  
fecisset. Et sic in aliis.



(leipzig) Diss., 1775 A(1)



Sb

KD18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

0042

Farbkarte #13



9042  
1775, 94.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**PRIVILEGIA NON SVBDITO  
DATA PROSINT**  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.  
SOCIO  
IN AUDITORIO IVRIDICO  
DIE XXIII. IVNII ANNO CCCCCCLXXV.  
DEFENDET  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS MANITIVS**  
LVTZEN - MARTISBURG.  
LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.